



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **MAKOKUENSIS*** NOVA IN GABONE
PRAEFECTURA APOSTOLICA

CONDITUR **MAKOKUENSIS APPELLANDA** Omnium de fidelium spiritali progressionem solliciti, cuncta disponere volumus quae salutiferae veritatis praedicationem toto in terrarum orbe fovent. Nunc de gentibus cogitamus quae in Gabone commorantur quibus properamus institutionalia etiam offerre adiumenta ut Evangelium Christi quam efficacissime illa in dilecta terra nuntietur. Quapropter Congregationis pro Gentium Evangelizatione de sententia, audito favorabili quorum interest voto, adsentiente Venerabili Fratrem Mario Roberto Cassari, Archiepiscopo titulo Truentino ac in Gabone Apostolico Nuntio, regionem civilem v.d. Ogooué-Ivindo» a dioecesi Oyemensis distrahimus atque ex ista regione Praefecturam Apostolicam *Makokuensem* condimus eamque sollicitis curis dioecesis Oyemensis committimus. Haec omnia ad expedienda Venerabilem quem diximus Fratrem Mariam Robertum Cassari destinamus, necessarias et opportunas ei tribuentes facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum. Re demum ad exitum perducta, documenta conficiantur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione diligenter mittantur, contrariis rebus minime quibuslibet obsistentibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die septimo mensis Martii, anno Domini bismillesimo tertio, Pontificatus Nostri vicesimo quinto.*

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Leonardus Erriquenz, *Protonot.*

Apost.

CRESCENTIUS card. SEPE

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

*A.A.S., vol. XCV (2003), n. 9, p. 565 © Copyright 2003 - Libreria Editrice Vaticana